

gaudent etiam si viderent animas parentum et filiorum damnari, quia eorum animae sunt conformes voluntati divinae, sed Christus in quantum homo et viator habebat omnes dolores, quos tibi supra dixi, et plures, imo plus, quia Deus volebat, quod ipse eius Filius sic vellet, iuxta illud, Psal. lxxv: *Voluntarie sacrificabo tibi, etc.*

2962 Sed si diceres, quare ergo Christus in quantum homo non moriebatur in ipso instanti, ex quo habuit tot infinitos dolores, sicut superius demonstratum est? quia si illi dolores, quos ipse passus fuit, fuissent partiti et communicati inter omnes creaturas mundi, omnes subito mortuae prae nimio dolore fuissent. Ego respondeo tibi, secundum naturales, nullus potest mori in hac vita ex dolore aliquo, nisi dolor ille communicetur sensualitati, et animae sensitivae; unde licet Christus perciperet tot dolores in anima sensitiva, tamen donum fortitudinis divinae tenebat illum dolorem reclusum ita, quod veniret ad partem animae sensitivae, et non [plene] communicaret sensualitati Christi, donec pervenit ad illam punctum, ubi ipse dixit, Matth. xxv: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

2963 Tertium dubium est, quare erat necesse quod Christus pateretur tantam poenam et tot dolores? Respondeo, quod fuerunt quinque causae, quae inducerunt Christum ad tantum dolorem et poenas sustinendas; et facio differentiam inter dolorem in corde et poenam in corpore; et ipse Dei Filius voluit portare utrumque quandoque rationibus contradicentibus. Prima causa fuit ad honorandum patrem ex sua sanctissima vita et virtutibus, quae fuit tantum honoris Patri, quod omnes alii Sancti non potuissent honorare tantum ipsum Deum Patrem et Creatorem omnium, quantum fecit Christus cum illo suo dolore, qui excessit omnes dolores omnium creaturarum in infinitum. Secunda causa fuit, ut satisfaceret aeterno Patri mediante eius unigeniti Filii immenso dolore de offensis et iniuriis sibi illatis a nobis. Tertia causa, quia voluit tantum dolorem sufferre ad ostendendam viam coelorum nobis, ad quos coelos tu ascendere non poteris sine poena, et nisi efficiatur tua anima humilis, quis via quae ducit nos ad vitam est arcta; et vos, o caeci et stulti vos non poteritis intrare regnum coelorum, nisi per viam Christi, quia ipse Christus est ostium, per quod oportet ingredi qui vult intrare regnum coelorum, aliter autem qui vult aliunde intrare quam per ostium, *fur est et latro*. (IOANN. 8). Itaque si vultis intrare coelum, intrate per viam Crucis Christi. Nam, ut ait Lucas, cap. xxiv: *Operuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam*; et Apoc. 1: *Primo-genitus mortuorum, et Princeps regum, et Luc. vi: Et non est discipulus super ma-*

*gistrum*; et ipse Dei Filius ostendit, et aperuit nobis viam ad intrandum paradisum poenis et doloribus crucis. Et vos fatui creditis cum vestris gaudiis et mundanis delectationibus intrare vitam aeternam? discite ergo a magistro vestro Christo; exemplum etiam dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus, etc.

2964 Quarta causa, quare voluit portare tot et tantos dolores fuit, ut satisfaceret Deo pro nobis, et sic liberaret nos solvendo debitum nostrae culpae poena sua, quam portavit pro nobis, a vinculis inferni et a potentia diaboli, quia insittia Dei volebat, quod tantum restitueretur Deo, quantum fuerat illi ablatum; unde nullus mortalis propter peccatum unum parentis poterat intrare regnum coelorum, nisi solveretur illud debitum, quod persolvere nullus erat sufficiens, nisi Christus. Unde Christus propter eius meritum solvit vinculum nostrae obligationis cum multiplici et infinita eius poena, quia oportuit ipsum pati, et sic intrare gloriam, et parare nobis viam, ad significandum quod similiter et nos facere debemus: ita quod Christus voluit sustinere tantum dolorem ad restituendum Deo illud, quod ipse habere debebat, quia infinita culpa erat ei facta per creaturam, ut supradictum est.

2965 Quinta causa fuit, ut demonstraret perfectionem vitae perfectae, quae consistit in laboribus et poenis; et omnes qui perfectionem huius vitae fugiunt, non poterunt salvari. Et considera quod Beata Virgo, Apostoli, et omnes Sancti intraverunt in regnum coelorum per istam viam perfectionis vitae aeternae; et tu credis cum tuis vanitatibus et gaudiis attingere huius vitae perfectionem? Certe tibi ipsi sic illudendo, diabolus tibi illudit.

### FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

IOANN. XIII, 1-15.

ANTE diem festum Paschae, sciens Iesus quia vixit hora eius ut transiret ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae:

3. sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit:

4. surgit a coena, et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se.

5. Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quod erat praecinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7. Respondit Iesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu necis modo, scies autem postea.

8. Dixit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aceterium. Respondit ei Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.

10. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Scibat enim quisdam esse qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cum recubisset iterum, dixit eis: Satis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene didicistis: sum etiam.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Domine, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

### Homilia S. Petri Damiani.

SERM. 40 IN COENA DOMINI.

2966 **H**ODIE, fratres charissimi, dum Coenae Dominicae sollemnia celebramus, plurima virtutum coelestium sacramenta recolimus. Hodie namque Salvator noster, qui caput est Angelorum, dum suis Discipulis vestigia terit, veraciter nobis humilitatis exemplum manifeste proposuit: ut quod impendit Dominus famulis, servi non deidentur exhibere conservis, et pulvis non denegat pulveri, quod sibi congruere tantae visum est maiestati. Ubi cum Petrus obsequium suscipere summi Praeceptoris abnueret, et ille minas repulsionis, nisi se lavari permitteret, intenteret; tremefactus tandem, et insistens imperio protinus acquiescens, ait: *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput*. In quibus utique verbis beatus Apostolus opera nostra, simul et cogitationes, ut a Domino purificentur, atque mudentur, indigere signavit. Si quidem manibus operamur, cogitationes autem ex mente, quae caput est interioris hominis profuerunt. Vera ergo, ac perfecta purgatio est cum Deus omnipotens non solum opera nostra munda, et immaculata custodit, sed etiam pravae cogitationes a cordibus nostris sancti Spiritus infusione repellit.

2967 Hodie Salvator terreni panis, ac vini speciem, in sui corporis, et sanguinis sacramenta convertit, suisque Discipulis vitalis alimoniae pabulum ministravit. Cibus enim ille vetustus, quem primus homo, intumescente superbia, et gula pruriente, percipit, per universa eius viscera vitiorum omnium, ac mortalis corruptionis venena diffudit. Contra hoc igitur lethale virus antidotum a Christiano populo sumitur, per quod spiritualis morbi pestilentia salubriter evomat. Huius novi sacramenti virtute fermentum illud condemnatae vetustatis expellimus; ut de servitute ad libertatem spiritus, et ad nova regenerationis azyma transeamus.

2968 Hodie sacrum Chrisma conficitur, per quod in nobis omnium coelestium charismatum sanctificatio confirmatur. Hoc videlicet illud esse sacrosanctum Chrisma cognoscitur, quod non modo Sacerdotes, Reges, atque Prophetas unxit in veteri Testamento, sed etiam sanctos Apostolos, Martyres, et Confessores sanctificavit in novo. Hodie etiam nos oleo divinae virtutis inungimur, ut in spiritualis palacstrae certamine collictantes, de subactis atque convictis hostibus triumphemus. De quo nimirum oleo Propheta dicit: *Computrescet iugum a facie olei*. Nam cum per hoc divini chrismatum Sacramentum libertatis nobis spiritus redditur, servitutis antiquae iugum in putredinem, necesse est, redigatur. Hoc mysterium Chismatum Propheta David indubitanter agnovit, cum vultus nostros in oleo exhilarando esse cantavit. Enimvero cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso; futuri muneris columba similitudinem praetulit, cum olivae ramo pacem terris redditam nuntiavit. Ait enim Scriptura: *Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit Noe columbam ex arca. At illa*

venit ad eum ad vesperam portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo. In emissione, ac reversione columbae septenarius numerus ponitur, quia septem esse proculdubio sancti Spiritus dona noscuntur. Vespertina vero hora ad arcam columba revertitur, quia Spiritus sanctus, qui in mundi principio ferebatur super aquas, iam vesperscente saeculo sanctam replevit Ecclesiam.

2969 Ad hoc etiam divini Chrismatis pertinet sacramentum, quod omnipotens Deus Moysi famulo suo mandatum dedit, ut Aaron fratrem suum aqua prius ablueret, deinde per infusionem huius unguenti constitueret sacerdotem. *Aaron, inquit, et filios eius unges sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi*: filiis quoque Israel dicens: *Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras*. Porro autem, sicut iam abluto per diluvium mundo, cum olivae ramo ad arcam columba revertitur: sic etiam Aaron aqua prius ablutus est, deinde Chrismate perunctus, ut ad sacerdotium promoveretur. Sic etiam nunc quilibet ad regenerationis gratiam veniens, prius sacri Baptismatis undis immergitur, ut postmodum divini Chrismatis mysterio consignetur. Illud praeterea oleum, quod et tabernaculum foederis, et cuncta eius utensilia consecravit, hoc divini Chrismatis Sacramentum perspicue figuravit. Ait enim Dominus Moysi: *Tolle oleum de olivis, mensura Hin, faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, et unges eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum vasibus suis, candelabrum, et utensilia eius, altaria thimiamatis, et holocausti, et universam suppellectilem, quae ad cultum coram pertinet, sanctificabisque omnia, et erunt Sancta Sanctorum; qui tetigerit ea sanctificabitur*. Mysticum ita-

que Chrisma, quod tunc consecratur tabernaculum in deserto, nunc Ecclesiam in novo sanctificat Testamento. Quod etiam Sacramentum tunc uberius, et copiosius videtur impletum, cum Redemptor noster de Iordanis undis baptizatus exiit, et apertis coelis protinus in eum Spiritus sanctus in columbae specie manifesta visione descendit, moxque vox Patris intonans: *Hic est, inquit, Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hunc esse perspicue comprobans, cui David olim eodem spiritu edoctus, aiebat: *Unxit te Dominus Deus tuus oleo lactitiae prae consortibus tuis*. Ex illo sane tunc spiritu, qui nostrum quoque Chrisma nunc consecrat, tantam virtutem aquarum omnium natura concepit, ut in quibuscumque fluentibus sub professione Deificae Trinitatis abluendus immergatur, plenum, atque perfectum novae regenerationis mysterium divinitus impleatur.

Hoc nostrum Chrisma illud etiam oleum typice designabat, quo Dominus in tabernaculo septem lucernas impleri ac iugiter ardere praecepit. *Praecepte, inquit, filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad circumdandas lucernas iugiter extra velum testimonii in tabernaculo foederis*: ponetque eas Aaron a vespere usque in mane coram Domino, cultu, ritumque perpetuo in generationibus vestris super candelabrum mundissimum ponetur semper in conspectu Domini. Quid autem per septem lucernas in tabernaculo, nisi septem significantur Ecclesiae in uno populo Christiano? In quibus nimirum oleum iubetur indesinenter ardere, quia in his sincera charitas, quae per Spiritum sanctum datur, gemini debet amoris igne fervescere, et claris, atque conspicuis semper operibus coruscare. Sed cum una sit procul-

dubio Catholica, universalis Ecclesia, sicut per Salomonem dicitur: *Una est columba mea, una genitricis suae*; quid est, quod in sacris eloquiis septem esse referuntur Ecclesiae, nisi quia, quae una est per unitatem fidei, septiformis est per totidem dona Spiritus sancti? Hae sunt enim septem illae mulieres, quae, iuxta Prophetiae vaticinium, accipere virum unum. Vir autem Ecclesiae Christus. Hoc plane sancti Spiritus oleo cuncta sacrarum Scripturarum pabula condiantur, ut animarum nostrarum viscera sagentur. Hoc oleum vitalibus epulis eloqui coelestis infusum sapit in faucibus animae, cuius et stomachum recreat, et gustum percipientis obdulcat. Nam scriptum est: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Unde sciendum est, quia omnes sacrarum voluminum paginae sancti Spiritus oleo sunt conditae. Quamobrem et in libro Numeri legitur: *Quia circumbat populus, et colligens manna, frangebatur mola, sicut terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati*.

2971 Porro autem quasi per multa in cellario Domini dolia transitum habuimus, ut ad solum oleatum, velut olei vasculum pervenire possemus. Manna denique, quo plebs vivebat Israelitica, sacrum designabat eloquium, quo nutritur, et vegetatur religio Christiana. Quod utique veraciter oleatum est, quia mystica sancti Spiritus est unctione conspersum. Notandum vero, quia idem manna, quod in libro Numeri dicitur oleatum, in Exodo legitur non olei, sed mellis potius habuisse saporem: *Gustus, inquit, eius erat quasi similiae cum melle*. Quidnam est, quod Angelicus ille cibus prius dicitur mellis exhibuisse dulcedinem, et postmodum non mellis, sed olei praebuisse suavitatem? nisi quod Redemptor noster sacrarum omnium Auctor, et con-

ditor Scripturarum, quem videlicet illud manna principaliter figurabat, et ante passionem, velut mel dulcedinem exhibuit miraculorum, et post Ascensionem suam tamquam oleum, in Discipulos suos effudit Spiritum sanctum? Nam quasi mellis videtur propinasse dulcedinem, dum signis atque virtutibus coruscavit, olei vero tunc suavitatem dedisse, cum in Apostolos suos sancti Spiritus Paracliti dona diffudit. Quem videlicet ordinem Moyses congrue tenuit, cum in Deuteronomio de petra, quae et nihilominus manna erat, typice decantavit: *Sixerunt, inquit, mel de petra, et oleum de firma petra*. De hoc mysticae unctionis oleo Sponsa ad Sponsum dicit in Canticis: *Unguentum effusum nomen tuum*. Unguentum quidem effusum Sponsi nomen asseritur; quia sicut a Chrismate Christus, ita consequenter a Christo dicitur Christianus.

2972 Quia igitur, dilectissimi, per gratiam Salvatoris nostri iam huius Chrismatis percipimus Sacramentum, quia iam regiae dignitatis expressum praeferimus in fronte signaculum, studeamus ita nobiliter vivere, ut conversatio nostra, tam divinis, tamque magnificis mysteriis valeat concordare. Nos enim sumus, quibus per primum Apostolorum dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutem annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Et certe satis ignobile est sub vitiorum carnalium vivere servitute, qui, Deo nos adoptante, regii obtinemus generis dignitatem. Nimis turpe est, ut terranae simus concupiscentiae dediti, qui et Dei vocamur filii, et ad obtinendam coelestem haereditatem, per Christi gratiam mererent adscribi. Planc, quia crucifixi praeceptoris nos constat esse discipulos, dignum est, ut etiam

nosmetipsos huic nequam saeculo praebeamus extinctos. A portanda igitur cruce post magistrum nostrum, et Dominum nulla nos negotii temporalis cura praepediat, nullus amor terrenaevstantiantia, vel illecebrae carnalis avertat. Dirigamus fidei, ac devotionis nostrae oculos per stratam iam, nobisque propositam viam crucis, ut per eam inoffensus gressibus incidentes, ad eum mereamur attingere, qui auctor, et provocator est ad gloriam resurrectionis. Qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Passione Christi.

[EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. III, SERM. 44.]

2973 **S** EQUITUR tertia pars principalis nostrae praedicationis, quae tangit omnes gentes magis communes, et in ista parte est significatio contemplativa; et postquam diximus de fructibus istius arboris, et postquam dicemus de foliis quae sunt ad salvationem gentium. Et dividemus passionem Christi in duodecim folia duplicata et sic erunt viginti quatuor folia, videlicet, duo folia in quolibet superscriptorum pomorum; ita quod cuilibet pomo attribuumus duo folia, quae consistunt in viginti quatuor amores, de quibus infra parebit.

2974 Primo duo folia vocantur amor orans devotus, amor sanguinatus; secunda folia amor totus inflammatus, amor captus et ligatus; tertia folia, amor circumcirca intendens, amor renegatus; quarta folia amor se demonstrans, amor sententiat; quinta folia amor crucem portans, amor angustatus; sexta folia amor Mariam inspicens, amor debilitatus; septima folia amor totus inflammatus, amor crucifixus; octava folia amor sanguiversans, amor tribulatus; nona amor clamans, amor vita privatus; decima amor mundo vociferans, amor mundo monstratus; undecima amor percussus, amor impallidatus; duodecima amor cor fervens, amor intumescens.

2975 Primum itaque folium habet duos amores, scilicet, amor devotus orans, amor sanguinatus, ubi est contemplandum, quod sicut Christus contemplatus est ultimam suam coenam, sciens quia debet tradi a Iuda postquam praedixerat, Matth. xxvi, et Marc. xiv, dicens: *Unus vestrum me traditurus est, cum mansuetudine, et charitate, ut desideravit, cum discipulis suis vivit in hortum, et coepit*

orare; et primo admonuit discipulos dicens, Luc. xxiii: *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem, ne me abnegatis; et hortabatur Petrum, cum praedixerat, quod antequam gallus cantet, ter abnegaret eum dicens, Matth. xxvi, et Marc. xiv: Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma, et tunc coepit orare Patrem, et levans oculos in Deum, et videbat Iudam, qui ierat ad prodendum, et iram Iudaeorum, et Scribarum, et Pharisaeorum parantium se ad apprehendendum ipsum, et videns omnes poetas, quas passurus erat, et sic orando versabatur dolor ex eius anima sensitiva, et secundum sensualitatem, et praec angustia petit dicens, Matth. xxvi: *Pater, si possibile est transcat a me calix iste, secundum sensualitatem, quia tanto magis habebat mortem in orare quanto plus erant nobiliores, et excellentiores naturae et cognitionis.**

Et est supponendum, quod ipse etiam dixerit: *Pater, tu uteris tanta clementia et charitate aliis dissimulans tanto tempore peccata, quod oro te, Pater mi, ut parcas eis sine tot et tantis poenis, flagellis, et doloribus istius meae sensualitatis, unde utere etiam tua charitate et clementia versus meam sensualitatem, ut calix iste transcat a me. Et Pater respondebat: Fili mi, tu debes esse paratus mori, quia iustitia poscit quod propter infinita, et grandia peccata, humana generatio sit tota perdit, et delecta de libro viventium, nisi redimatur per mortem huius tuae sensualitatis, ita quod hoc modo oportet, quod tu persolvas debitum culpae generis humani. Et erat magna controversia inter rationem et sensualitatem Christi, quia ratio dicebat: *Pater mi, non quod ego volo, sed quod tu* (MARC. XIV).*

Venit ad discipulos suos, qui praec agonia tristitia non poterant orare, et sic otium soporis abduxerat eos, et invenit eos dormientes, et dixit Petro: *Et tu Petre, qui volebas pati tanta, me protegere, et vos alii, non potestis una hora vigilare mecum?* perseverate in oratione, et vigilate et orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterumque secundo alibi et oravit similem orationem dicens: *Pater mi, si non potest hic calix transire nis bibam illum, fiat voluntas tua. Et Pater respondit dicens: Fili mi, nonne vides, quia propter tuam salutiferam mortem tu illuminabis universum orbem radiis meae dilectionis, et propagabitur mea gloria, quia propter eandem tuam mortem tot, qui sacrificabant diabolo, sanctificabunt nomen meum; unde subeundo mortem, tu dilatabis meum honorem magis, quam alio modo; et ita moriendo, ego dabo tibi potentiam infinitam et*

<sup>1</sup> Propositio confusa.

exaltabo te in gloria, si te humiliaveris usque ad mortem, quia qui se humiliabit, exaltabitur, et volo videre te mori in cruce. Gaude ergo moriendo, et morieris afflictus cum infinitis doloribus gaudente.

2978 Et Christus iterum dixit: *Pater fiat sicut vis; sed oro pro salute meae dulcissimae et charissimae Genitricis, et pro conservatione istorum meorum discipulorum, quos mihi dedisti, quos digneris conservare in mea fide, et charitate. Est credendum quod Pater respondit Christo in illa oratione: Licet ego dimittam tuos discipulos sconquassari et multa flagella pati, tamen non deseram ipsos, et tenebo tuam Matrem in firma fide, nec dimittam eam in aliquo opprobrium cadere, salvo quod sufferet, et participabit poenam pariter tecum, sed ipsam tuam Matrem et Sponsam meam semper in doloribus iuvabo.*

2979 *Tunc venit ad discipulos suos, et dixit illis, (LUC. XXII) Dormite iam et requiescite, et rediens ad orandum, factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram; et ratio est quia concurrebant ad invicem timor, et amor, scilicet, timor poenae, quam passurus se intelligebat et videbat, qui timor poenae fecit currere totum sanguinem ad cor, et amor humani generis, pro quo passurus erat similiter concurrat ad cor, et tunc amor ita implevit cor, quod subito et magno impetu expulsi de corde sanguinem dicens: Exi foras, sanguis, quia amor vincit timorem, quia volo quod Christus moriatur pro populo suo Christiano; et cum tanto impetu sensit cor Christi, quod omnes pori corporis aperti sunt, et exivit sanguis pallidus per omnes poros et pilos corporis Christi usque in terram. Et sic habes duo folia; unum amoris devotae orationis, secundum amoris sanguinati, etc. Et Dominus noster Iesus Christus existens ex sudore sanguinis ita madidus, pensa, quod quum sua veste tergebat vultum suum, tamen aliqui contemplantes imaginantur, quod in torrente se lavaret. O utinam quis posset habere modicum illius amoris, ut sanguis similiter praec nimio amore, pulso timore, per tempora emanaret, certe esset filius Dei!*

2980 Sequuntur alia duo folia, videlicet, amor totus inflammatus, amor captus et ligatus; quia finita oratione praedicta Christus venit ad discipulos dicens: *Venit hora, ut praepararem me pugnae flagellorum, Matth. xx: Ecce tradetur Filius hominis in manus peccatorum: Surgite camus cito, qui tradet, prope est. Contemplare anima quod secundum aliquos docetur, quod mos erat inter discipulos, quod quando aliqui discipuli recedebant a Christo et consortio aliorum condiscipulorum, Christus dabat eis suam benedictionem, et redeun-*

tes in signum pacis amplexabantur Christum eorum magistrum, et osculabantur eum. Unde Iudas proditor dederat Iudaeis hoc signum dicens: *Quicumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum, et ducite eum caute* (MATTH. XXVI), et secundum consuetudinem iam dictam Iudas admonens Iudaeos qui venerant ad locum illum, ubi erat Christus, cum multitudine armatorum venientium cum magno strepitu, *eum gladiis et fustibus, et lateribus a summis sacerdotibus et scribis et senioribus, ut caperent Iesum, volens ostendere, quod non veniebat ut traderet eum, sed ut solum aspiceret, et cum Iudaeis ostenderet, festinanter appropinquavit ei dicens: Ave, rabbi, et osculatus est eum, et Christus tunc dixit: Iuda, Filium hominis osculo tradis? Et credo quod patredo illius osculi fuit de horribilibus factoribus, quos unquam senserit Christus; sed credo quod Deus permisit illud os factidum dare signum suae capture, demonstrando desiderium suae mortis, per quam foetores peccatorum debebat delere; et hoc propter illum divinum amorem immensae charitatis, quam habebat humano generi, et tunc Christus inquit: *Quem quaeritis? Si ergo me quaeritis, scitote hos abire, (IOANN. XVIII). Ecce charitas immensa Christi gloriosi quasi se invitando [exponendo] attribuit culpam sibi, et alios excusavit defendendo.**

Quod tamen videtur hi discipuli qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt: *Si percutimus in gladio?* (LUC. XXIII); et Petrus in illo fragore percussit eum illis servum nomine Malchum principis sacerdotum: *Et amputavit auriculum eius dexteram* (IOANN. XVIII). Et Christus se volens versus Petrum, ipsum reprehendit dicens, Matth. xxvi: *Petre, converte gladium tuum in vaginam, quia qui gladio ferit, gladio peribit; et dixit: Simile hoc usque, et quam legitisset auriculum eius, sanavit eum* (LUC. XXIII). Et propterea illi perfridi Iudaei videntes hoc miraculum non dimiserunt eum; imo credo quod ille Malchus sanatus fuit primus qui ligavit Christum, et ceteris iniquior.

Quem ergo Christus dixit: *Quem quaeritis? Ego sum, omnes retrorsum ceciderunt, (IOANN. XVIII), quia Christus voluit ostendere suam immensam potentiam; et si voluisset, non potuisset comprehendere eum, nisi voluisset consentire; quia necesse erat ipsum mori pro salute nostra. Et verum dixit: *Quem quaeritis, etc. Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quia ego sum, etc. Tunc vero cohortis, et tribunos, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum et ligaverunt eum, et quantam crudelitatem fecerunt tunc ei!**

Contemplare Iesum quemodo aliqui depilabant

cum, aliqui percutiebant ipsum in vultu, aliqui uno modo, et aliqui alio modo, et ducebatur cum tanto impetu, et quia nox erat in monte, et discalceatum trahabatur per scopulos et lapillos, percutiendo pedibus in illis scopulis, propter quos sanguis emanabat, et omnem derisionem iam eius charitas sustinebat, et sic adduxerunt eum ad Ananiam primum; erat autem socer Caiaphas, qui erat Pontifex tunc illius. Erat autem Caiaphas, qui consilium dederat Iudeis, quia expediret unum hominem mori pro populo, (IOANN. XVIII).

2984 Et ductus coram Pontificibus incoeperunt Iudaei inferre illi gravissimas iniurias dicentes: Nunc videbimus si tu es Filius Dei, cum illis verbis acerbis et opprobrio plenis, percussioibus, et sputis, quia ille se aestimabat beatum, quia iniurias et maledicta patiebatur, et ut dicunt aliqui Doctores, posuerunt eum in quodam loco villi domus illius, et ligaverunt eum ad unam columnam, et Sacerdotes et Pontifices petierunt lectum, ut dormirent, relicto ac dimisso Iesu in manibus illorum militum et perfidorum Iudaeorum et Pharisaeorum ligato ad illam columnam, quemadmodum si omnem commisisset culpam, percutiendo ipsum, aliqui uno modo, aliqui alio modo, cedaphando ipsum pugnis gravibus, et pedibus concalcando personam, spiciendo in suam divinam faciem, depilando ei barbam, et extrahendo ei capillos, etc. Et Christus benedictus tota illa nocte fuit modo praedicto angustatus; et cum sua profundissima humanitate omnia sufferebat in pace, et ipsi perfidores et crudeliores magis efficiebantur adversus eum.

2985 Gloriosa autem Virgo Maria Mater Christi, ut credo, erat in domo Mariae Magdalene, Marc. xiv, Ioannes vero adolescens, relicta sindone, nudus per fugiens venit ad domum ubi erat B. Virgo totus anxius et plenus tristitia dicens: O Mater gloriae, infelix nuntium, quia Iudaei ceperunt magistrum meum cum tanto furore, et cum tot durissimis verberibus et iniuriis abduxerunt eum; quod neque ore proferre poterat. Tunc Virgo gloriosa cum maximo dolore levatis oculis ad coelum petit misericordiam a Deo dicens: Pater, si misereris peccatorum, miserere Redemptoris Filii tui! Et Virgo quaesivit: Ubi est Petrus et alii discipuli eius? Et Ioannes respondit quod ipsi confugerant. Et tunc Magdalena accensa dolore cum maximis querelis volebat exire de domo, quia parata erat mori cum suo Magistro, increpans discipulos quod aufugissent et non comitati fuissent ipsum in vita et in morte; et Ioannes timuit et non permisit eam exire illa nocte de domo.

## FERIA SEXTA IN PARASCEVE

PASSIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI  
SECUNDUM IOANNEM.  
IOANN. XVIII, XIX.

Expositio S. Augustini Episcopi.  
IN IOANN. EVANG. TRACT. 112-120.

2986 **T**ERMINATO magno prolixoque sermone, quem post coenam Dominus, fundendo pro nobis proximum sanguini, ad discipulos habuit, qui cum illo tunc erant, adiuncta oratione quam direxit ad Patrem, deinceps eius passionem Ioannes evangelista sic orsus est: *Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius. Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum locum: quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Hoc quod narrat ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum eius illa finita esset oratio, de cuius verbis ait: *Haec cum dixisset Iesus:* sed alia quaedam sunt interposita, quae ab isto praetermissa apud alios evangelistas leguntur: sicut apud hunc inveniuntur multa, quae illi similiter in sua narratione tacerunt. Quomodo autem inter se omnes conveniant, nec veritati quae per alium promittit, ab alio repugnetur, quisquis nosse desiderat, non in his sermonibus, sed in aliis laboriosis litteris quaerat, nec stando et audiendo, sed potius sedendo et legendo, vel legenti aures mentemque intentissimam praebendo, illa condiscat. Credat tamen antequam sciat, sive id etiam scire in hac vita possit, sive per aliqua impedimenta non possit, nihil ab aliquo Evangelista esse conscriptum quantum ad hos attinet, quos in auctoritatem canonicam recepit Ecclesia, quod vel ipsius vel alterius non minus veraci narrationi possit esse contrarium.

Nunc itaque huius beati Ioannis, narrationem, ut suscepimus tractandam, sine aliorum comparatione videamus, in eis quae manifesta sunt non immeritates: ut hoc ubi opus, est, causa poscente faciamus. Non ergo sic accipiamus quod ait: *Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius,* tamquam continuo post illa verba in illum hortum fuerit ingressus: sed ad hoc valeat quod dictum est: *Haec cum dixisset Iesus,* ut non eum ante opinemur ingressum, quam illa verba finiret.

2987 *Sciebat, inquit, et Iudas, qui tradebat eum, locum.* Ordo verborum est: *Sciebat locum qui tradebat eum. Quia frequenter, inquit, Iesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Ibi ergo lupus ovina pelle contactus et inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem. *Iudas ergo, inquit, cum accepisset cohortem, et a principibus et pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis* (IOANN. XVIII, 3). Cohors non Iudaeorum, sed militum fuit. A praeside itaque intelligatur accepta, tamquam ad tenendum reum, servato ordine legitima potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere: quamquam et manus tanta fuerat congregata et sic armata veniebat, ut vel terretet vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet. Ita quippe eius abscondebatur potestas et obtendebatur infirmitas, ut haec inimicis necessaria viderentur adversus eum, in quem nihil valuisset nisi quod ipse voluisset: bene utens bonus malis et faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis et discernendos bonos a malis.

2988 *Iesus itaque, sicut Evangelista secutus adiungit, sciens omnia quae ventura erant*

*super eum, processit et dicit eis: Quem quaeritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem et Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Ubi nunc militum cohors et ministri principum ac pharisaeorum? Ubi terror et munimen armorum? Nempe una vox dicentis: *Ego sum,* tantam turbam odii ferocem armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit, Deus enim latebat in carne: et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis et facibus quaereretur occidendus a tenebris. *Ego sum,* dicit, et impios deicit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium *ego sum,* dicit Christus; et a Iudaeis expectatur antichristus, ut retro redeant, et in terram cadant, quoniam deserentes coelestia, terrena desiderant. Certe ad comprehendendum Iesum persecutores cum traditore venerunt, quem quaerentes invenerunt, audierunt *Ego sum;* quare non comprehenderunt, sed abierunt retro, et ceciderunt, nisi quia hoc voluit, qui potuit quidquid voluit? Verum si nunquam se ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quaerabant saeviendo, sed quaerebant nos et ipse moriendo. Proinde quia tenere volentibus nec valentibus ostendit potestatem suam; iam teneant eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam.

2989 *Iterum ergo eos interrogavit: Quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ut impletur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex*